Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput II.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

bitarum [illegible]ripitur diabolo Christi Ecclesiam aemulante. Etsi autem aeque omnes Bonzii impuri haud falso habentur; tamen adeo tutatur eos sive religio sacrorum, sive eximia de illorum abstinentia opinio, ut insuper apud plebem juxta Proceresque maximo in honore habeantur: quippe quos carne, pisce, vino penitus abstinere, oleribus modo atque oryza victitare, ac semel duntaxat in die cibum capere, gloriosius quam verius fama ferat.

## Cangoxima complures Christo parit
## Cap. 11.

His cognitis, Xaverius primum sibi ipsi (id quod res monebat) abstinentiae arctioris legem imponendam ratus, etiam parcius duriusque vivebat, quam Bonzii vivere dicebantur: utique cum non modo rerum inopia illum, verum etiam penitus diversus exciperet cibus: famesque ac necessitas consuetam victus rationem, palatumque ipsum, mutare quodammodo cogeret. Nam pro pane oryza, pro obsonio pomis fere et herbis barbaro quodam modo conditis trahebat vitam.

Xaverii summa frugalitas in Japonia.

Quod ille novum frugalitatis genus pro sua animorum fame libenter arripuit, utpote cujus cibus esset, facere voluntatem ejus, qui se misisset.

Et magnam habere se dicebat Japoniae gratiam, quod convivio quoque ab incolis adhibitus, deliciis omnino carebat iis, quarum dulcedine decepti mortales, voluptati magis quam necessitati serviant, ac morientes potius vivere, quam recreantes viant, ob [illegible] insolentiam. Itaque ipsa ciborum condimentorumque insolentia majorem illi praescribebat temperantiam. Neque tamen idcirco minus ei virium quam antea fuit; non alibi melius quam in Japonia valuit. Adeo vires ac valetudinem non minuit, sed auget frugalitas.

[illegible]

Caeterum haud paulo plus negotii fuit in lingua

quam in

quam in palato assuefaciendo. Japonicum ser- Japonicus sermo
monem, quanquam naturâ haud sanè difficilem
tamen studia Japonum ad summam difficultatem
perduxerant. Nihil jam illa linguâ copiosius est.
Ad varias rerum notiones variè significandas, per-
magnam habet verborum idem significantium
sylvam, et in hisce usurpandis elegantiam quan-
dam, & quasi nitorem vernaculum. Non temerè
quælibet assumuntur vocabula, sed /: ut alia grandio-
ra, alia humiliora sunt. :/ ad rerum personarumque
accommodantur decorum. Atque etiam /: quod per-
mirum est :/ longè aliter loquuntur ac scribunt.
sermo aliq civium est, aliq rusticum; aliis litera-
rum notis epistolæ, aliis libri conscribuntur. Quæ
copia varietasque tum loquendi, tum scribendi
ad perdiscendum multum & operæ requirit et tem-
poris: Nec licet cuiquam urbano in hoc genere esse
negligenti. Si quid enim ab eorum ratione deflectat,
tanquam homo imperitus ac rusticanus ludibrio sit,
haud secus quàm apud nos, qui in Latina lingua
barbaris aliisque verbis aures offendunt delica-
tas. Franciscus ergo Japonum linguam utcun-
que sibi addiscendam existimans, cum capita Chri-
stianæ religionis à Paulo Japone literis mandanda
curaret, in magnas incidit salebras. Paulus quippe,
homo idiota, nihilo melior interpres erat, quàm ma-
gister. Et quanquam plus etiam enitebatur, quàm
poterat; minus tamen efficiebat, quàm res postu-
labat. Nam capita illa adeò perperam interpretabatur,
ut oratio nequaquam cohæreret: ita porrò scribebat
imperitè, ut ea scripta ab Japonibus literatis legi
non possent sine risu. At Xaverius erat animi- Animi magnitudo invicta Xaverij.
semper difficultatibus obluctantis, irrisiones hominum
contemnens, ubi eorum salus ageretur, negotium urgere
perseveravit. Quocirca agens utcunque poterat cum
populo, vitæ sanctitate ac divino quodam ardore
animi

animi consequebatur, ut plus ipse per se proficeret, quam per Paulum, aut alium quempiam interpretem. Ad rei religionisque novitatem indigenae frequenter concurrebant, partim advenas habitu ac moribus omnino ab ipsis discrepantes visendi studio, partim etiam explorandi quid tandem ex alio orbe religionis afferrent. Sed quoniam cos linguae imperitia non animi sensa explicare, non percontantibus satisfacere sinebat, alij haesitantiam eorum irridere, alij peregrinum vestitum ac mores illudere; alij denique miserari advenarum vicem, rati viros ex alio terrarum orbe, novae religionis invehendae gratia, usque in Japoniam profectos, nec stultos esse oportere, nec nullius momenti res afferre. Ita alias alijs sermonis materiam dantibus, excitatis ad novam religionem cognoscendam animis, nonnihil proficiebant. Inter haec Paulus Japonius, rebus suis compositis, mirando esse coeperat popularibus suis; utpote qui peragrata India, multa sane mira & illis inaudita narraret. Ergo ad Saxumanum Regulum XV ab oppido passuum millibus salutandi causa profectus, benigne ab eo accipitur. Post mutuas gratulationes, Regulus multa de rebus Indicis, de Lusitanis, eorumque opibus, moribusque sciscitabatur. Quibus expositis, Paulus tabulam egregie pictam profert, advectam ex India: in qua B. Mariae, puerique JESV in matris gremio sedentis, imago erat. Hanc cum Paulus, pauca praefatus de Christianorum religione, ostenderet Regulo; protinus ille venerabundus submittit genua, idemque ceteros, qui aderant, facere jubet. Ceterum ultra imaginis venerationem progressus non est. At Reguli mater tabulae specie capta, eius expetijt exemplum. Sed pro inculti loci studio artifex defuit. Eandem cupido subinde incessit Christianae legis cognoscendae. Igitur postulavit, ut eius capita Japonicis litteris sibi traderentur: Paruit quidam mulieri Paulus; sed illa Deo haud quaquam

B. Mariae imaginem Japoniae Regulus supplex veneratur.

paruit

parvit. Itaque ille irrito incepto revertit Cango
ximam: feliciusque multo operam posuit domi
quam foris posuerat. Quippe homo pius atque im
piger, sive Xaverij instinctu, sive sua sponte,
domesticos excolere aggressus, propinquos, affines,
necessarios noctes diesque docere, hortari, mo-
nere nunc singulos, nunc universos non destitit
prius, quam eorum plerosque ad Christi perpulit
fidem. Itaque brevi eius conjux, filia, multique
præterea cognati, tum viri, tum fœminæ, Cate
chismo instituti, baptismoque expiati, populo
haudquaquam illorum consilium factumque impro
bante. Xaverius porrò haud dubius populi studia
Bontiorum authoritate niti, proinde, ea eversa,
omnia sibi in expedito fore; primum omnium
Bontiorum nomen quasi arcem superstitionis
sibi expugnandas existimavit. Opportunè igitur Bon
tiorum antistitem nactus (: Ninxit ipsorum
lingua appellatur, non ætate solum ac digna
tione, sed etiam conditionis famâ inter [illegible]
eminens :) comiter in eius familiaritatem insi
nuavit se. Inde alios ex alio sermones serens,
paulatim cum illo de religione congredi cœpit.
Nec frustra id fuit. Cum tum in alijs, tum in
certamine de immortalitate animorum, parum
sibi constantem reperit, sed (: ut in utramque partem
impulsus labebat :) sæpe nutantem. Itaque haud
sanè ægrè hominem dejecit stravitque. Is
tamen vel ingenio, vel comitate Xaverij captus,
magno eum honore coluit. Et cæteri Bontij,
Ninxitis exemplo imitati, consuetudinem Xaverij
ambitiosius quàm avidius expetebant. Nec aliud
magis in illo admirabantur, quàm animi magni-
tudinem; quippe cum religionis duntaxat causa
tam longinqua ac periculosa navigatione, inde
usque ab Lusitania totum ferme Oceanum emensus
in ultimas

Pauli Saporis studium propagandæ Christianæ fidei.

Bontiorum Ninxit sive Antistes.

in ultimas oras penetrasset. Illi autem summa
pariter admiratione ac voluptate audiebant,
piè Christum sanctèque colentibus beatitudi-
nem propositam esse in coelo sempiternam.
Ita Bonzijs partim conciliatis, partim convi-
ctis; res in proclivi videbantur esse. Sed quo-
niam cum populo sine interprete agere nō
poterat, conatus ejus scilicet morabantur igno-
ratio linguæ vernaculæ. Quocirca de tot
animorum pereuntium salute solicitus, Japo-
nicæ linguæ jam degustata rudimenta celeri-
ter devorat. Inde ut liberius ageret cum
populo, aditum sibi quærit ad Regem.
Et ad eam rem egregiam, illi operam Pauly
Japon dedit. Namque is Saxumanum Regem,
avidum amicitiæ commerciique Lusitanorum,
haud ægrè perpulit, ut Francisco ejusque
socijs, quippe apud Lusitanos auctoritate
plurimum pollentibus, impensius faveret.
Franciscus ergo Rege deinde adito, præparatas na-
ctus aures, nullo negotio eum adduxit, ut Chri-
stianæ religionis suscipiendæ veniam suis popula-
ribus daret. Facta potestate, Bonzij duo, alijq[ue]
Japones complures, ad Christi fidem adjuncti.
Paucorum mensium spatio quos amplius centum
libentibus quidem propinquis, Christiani facti.
Quos interiore cura instituens Xaverius, cum Japoni-
cas literarum notas verbis, ut diximus, difficiliter
nondum teneret, nostræ fidei capita in Japonicam
conversa linguam, nostratibusque literis consigna-
ta, ipsemet tradebat neophytis descripta pro-
nuncians. Inde ex neophytorum numero nonnullos
in Indiam destinat, ingenuis disciplinis in Goano
Collegio

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

collegio instruendos; ut bonis deinde artibus ac moribus exculti, suis popularibus plus non solum admirationis, sed etiam opis, afferrent.

Mortuam puellam ab inferis excitat, leprosum sanat.

Cap: III.

Mira subinde res Christi gregem auxit Cangoximæ, et Francisci nomen illustrius fecit. Cangoximanus civis erat honestus ac dives; sed à Christiana religione alienus. Huic dulcissimam filiolam immatura mors subitò abstulerat. Itaque dolore amens, multa indigna faciebat dicebatque. Conveniunt ad eum inter alios neophyti aliquot cognati amicique, solandi gratia, et funeris celebrandi. Qui acerbissimo viri gemitu ejulatuque moti, eum hortantur, ut Franciscum Xaverium, virum sanctum ex alio orbe quam primum adeat, eius auxilium imploret: illum utique vitam extinctæ puellæ redditurum. Haud ægre ei persuasum. Ergo mœstus pater, desiderio filiæ stimulante, ad Xaverium accurrit: lacrymans rem exponit: suppliciter orat, suæ ut orbitati ac solitudini consultum velit. Hic Franciscus vicem illius miseratus statim cum Joanne Fernando, socio et comite suo, recipit se ad orandum Deum. Exinde gaudio alacer surgit, hominemque bono animo esse jussum dimittit, filiam eius vivam esse confirmans. Movit ea voce iras barbaro, qui modo filiam haud dubiè exanimem reliquisset. Quocirca seu quod ipse mendacii quodammodo argui, seu quod Franciscus ab eius lecto abhorrere videretur, indignabundus recessit. Domum repetenti domesticus puer occurrit, puellam vivere ac valere nuncians. Itaque pater familias, repentè mœrore in gaudium

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg